

P R O L O G U S.

tatus fueram, quin sese mox obtulerit omnium in Theologiâ Enunciatorum primum, nempe *Libros V. & N. Testamenti esse infallibile Dei Opt. Max. Verbum*. Siquis enim etiam hoc amovere atque rejicere vellet, ille jam extra Theologiæ limites profiliret, & non rationibus Theologicis, hoc est, auctoritatibus à Scripturâ petitis; sed argumentis Historicis, ac aliunde allatis coërcendus atque convincendus esset; in eumque quadraret Aristotelicum illud, *Adversus negantem principia non esse disputandum*. Et quemadmodum tota Jurisprudencia Corpori juris innititur, & sine Lege loqui erubescit Jureconsultus: sic etiam omnis Dei verbô superædificata est Theologia, & nihil, nisi inde deductum, Theologo adferendum, vel admittendum.

Hôc igitur repertô jactôque Theologiæ omnis fundamentô, ulterius progredi libuit, atque investigare, quidnam illi proximè superstrui posset, ac deberet. Non multâ nec admodum difficili animi contentione animadverti, ac reperi, illud esse infallibilem S. Scripturæ Interpretationem. Hâc enim quòd caruerint Theologi, fons exstitit atque origo unica, unde tanta inter Dogmaticos scaturivit opinionum discrepantia, & quòd nullus suam præ cæteris veram esse certò atque infallibiliter demonstrare potuerit. Hanc unicam esse horum malorum medellam, unicumque cardinem, in quò proximè post jam stabilitum fundamentum tota versatur Theologia, ex eò constat, quòd omnia ejus, tam circa fidem, quàm mores dogmata è Scripturâ & peti, & probari debeant, nec inde peti, nec probari possint, nisi illius sensus certò cognitus sit, atque perspectus. Unde etiam in suis disputationibus omnium generum, omnium ætatum, atque regionum Theologi Christiani unice semper in id incubuerunt, omnesque sui ingenii, suæque doctrinæ nervos intenderunt, ut Scripturam id quod ipsi, & non quod adversarii dicunt, significatum velle persuadeant, atque ostendant. Hæc autem postquam deprehendi, extemplò

* * * * *

ani-